

autem præcipuus *Solaris* est, *Rosa* five *Chryseus* dictus; qui plerumq; splendidissimus, & coloris argentei, quasi auro admixto, five coloris Electrini apparet; ac rarissimis cingitur crinibus: ut vult *Keplerus*. β .) Quorum etiam refert *Soles nocturnos*, ab antiquioribus celebratos. Isti verò, qui non absolutam referunt rotunditatem, clypei figuram ferè exprimunt omnes.

(β .) c. 25. de novâ Stellâ Serpent.

§. XX. 2. *Pitheus* seu doliformis, effigiem Dolii exhibet.

§. XXI. 3. *Equinus* seu *Hippeus* jubam Equi refert, curvus est, & latè explicatus; quanquam non semper eandè præ se fert figuram.

§. XXII. 4. *Argyrocomus* seu *Argentocomus* haud multum dissimilis est *Solari*, nisi quod candidus sit, & argenteo crine ita refulgens, ut vix contueri liceat, teste *Plinio*.

§. XXIII. 5. *Hircus*, villorum specie & jubâ alicvâ circumdatus est, ac tenuissimis radiorum fibris hirsutus, orbicularis pariter absque caudâ spectatur.

§. XXIV. 6. *Lampadiformis*, qui *Lampadis* quasi figuram refert, vel qui ardentes faces imitatur, sub diversâ omnino facie notatur. Alii enim sursum mucronem acuminatum efferunt; alii etiam duos, imò tres cuspides quasi ejaculantur: cujus generis tamen phenomena rarissimæ sunt apparitionis: vix enim unicum rectè ab antiquitate annotatum invenimus.

§. XXV. 7. *Ceratia* seu *Cornutus*, alias *Corniformis* etiam dicitur, quandoque absque omni barbâ & crinibus, quandoque caudatus apparet. Ille caput instar Phaseos Lunæ curvatæ seu lunatæ ostendit; hic verò caudam habet curvatam, modò sursum modò deorsum vergentem: quorum item alii caudam ab omni parte æqvè prope modum densam latamque exhibent; alii verò Comam cuspidatam, Cornu speciem habentes, seu Tubæ figuram, five *Pectinis* præ se ferunt.

§. XXVI. 8. *Acontie* radiorum longâ serie in modum Jaculi vibrantur, & Jaculi habent formam, capite plerumque compressiore & oblongo, tum caudâ prolixâ tenuissimâque gaudent.

§. XXVII. 9. *Xiphia* seu *Ensisiformis*, nonnunquam *Rompheæ* seu *Gladii* speciem gerens; caput instar capuli; caudam verò plerumque rectam in mucronem fastigiatam refert; colore præterea & lumine
ad.